



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118324**

§. 107. Mediolanensis, ac Mutinensis Duces Mantuam delati

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

Sæcul. XV. rentur, quamdiu reliquus Christianorum  
A. C. 1459. exercitus in bello militaret.

## §. CVII.

*Mediolanensis ac Mutinensis Duces  
Mantuum delati.*

Paucis post Clivensis Ducis adventum diebus, Franciscus Sfortia Mediolanensium Dux Mantuum adiit. Huic adventanti duo Cardinales occurrerunt, & Franciscus Philephus Emanuelis Chrysoloræ Gener, Vir omni eruditione clarissimus, tanta eloquentiæ ubertate orationem habuit, ut Pontifex illum *Musam Atticam* nuncuparet. Præcipue Ducem hunc ob fortitudinem ac defendendæ fidei studium commendabat, qui vere tanta laude dignus erat, eoquod omnibus generosi Principis dotibus, atque prærogativis liberaliter dotatus esset.

*Papiensis  
Epist. 25.  
Bergom.  
lib. 15.*

*Trithem. de  
Script. Eccl.  
Paul. Jov.  
in Elog.*

Borsius Mediolanensium Dux morbo præpeditus, Fratrem suum Mantuum misit, qui ejus nomine trecenta aureorum millia pollicitus est. Aduere item Florentinorum, Senensium, & Bononiensium Legati, qui & ipsi sua spondebant auxilia. Genuenses quoque minime se defuturos promiserunt, id tamen publice non audebant sine jussu Regis Franciæ, cujus imperio paulo ante sese subjecerant.

rant. Ferdinandus Neapolis Rex plus Sæcul. XV.  
 ceteris conferre pollicitus est, quin etiam A. C. 1459.  
 Sacramenti religione ad hoc bellum sese  
 obstrinxit. Aderant pariter Casimiri Po-  
 loniæ Regis Legati cum splendido comi-  
 tatu, necnon Sabaudia Ducis Oratores,  
 aliique plures. Ultimi tandem ex Italia  
 venerant Veneti, qui cum tot Principes  
 ad conventum suos decrevisse Legatos,  
 atque Oratores Franciæ propediem ad-  
 futuros edocti essent, æmulationis, ho-  
 norisque stimulis excitati, & ipsi se pro  
 parte sua, quicquid virium esset, præsti-  
 turos promiserunt, ea tamen conditione,  
 ut unitis omnibus Christianorum Princi-  
 pum armis bellum gereretur.

## §. CVIII.

*Principes, ac Oratores ad Ecclesiam  
 Cathedralem a Papa convocati.*

Papa, cum Conventus confluentium  
 numero admodum spectabilis esset,  
 quamvis nondum Franci advenissent,  
 cunctos tamen ad Ecclesiam Cathedra-  
 lem die vigesima Septembris convocabat.  
 Equidem primæ Sessioni inchoandæ sta-  
 tuta erat dies nona ejusdem Mensis, il-  
 lam tamen fuisse dilatam testatur dies  
 adscripta orationi, quæ a Pontifice ha-  
 bita inter ejusdem epistolas recensetur.  
 Haud diu Mantuæ detineri poterat Me-  
 diola-